



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

33. Quoniam Spiritus, &c. De beato Thuribio Archiepiscopo Limano in  
America, sanctorum Confessorum Pontificum canoni per eundem  
adscripto die 10. Decembris anno 1726.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

- † Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite  
Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula. †
- † Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti  
Presbyter Cardinalis de Via. †
- † Ego Antonius Felix Tit. sanctae Balbinæ Pres-  
byter Cardinalis Zondarius. †
- † Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam  
Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus. †
- † Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter  
Cardinalis Origus. †
- † Ego Melchior Tit. sanctae Mariae Angelorum  
Presbyter Cardinalis de Polignac. †
- † Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei  
Presbyter Cardinalis Spinula. †
- † Ego Georgius Tit. sanctae Agnetis Presbyter  
Cardinalis Spinula. †
- † Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyri-  
corum Presbyter Cardinalis Bentivolis de  
Aragonia. †
- † Ego Ludovicus Tit. sanctae Priscæ Presbyter  
Cardinalis Belluga & Moncada. †
- † Ego Joseph Tit. sanctae Susannæ Presbyter Car-  
dinalis Percyra de la Cerda. †
- † Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula  
Presbyter Cardinalis Cienfuegos. †
- † Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad  
Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus,  
major Penitentiarius. †
- † Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in  
Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis. †
- † Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter  
Cardinalis Petra. †
- † Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni Presbyter  
Cardinalis Marefucus. †
- † Ego Frater Augustinus Tit. sancti Xysti Pres-  
byter Cardinalis Pipia. †
- † Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardi-  
nalis Lercarius. †
- † Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Car-  
dinalis Cozza. †
- † Ego Benedictus sanctae Mariæ in Via lata Dia-  
conus Cardinalis Pamphilius. †
- † Ego Laurentius sanctae Agathæ ad Montes  
Diaconus Cardinalis de Alteriis. †
- † Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium  
Diaconus Cardinalis Columba. †
- † Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardina-  
lis Alberonus. †
- † Ego Alexander sanctae Mariæ in Cosmedin  
Diaconus Cardinalis Albanus. †
- † Ego Alexander sanctae Mariæ de Scala Dia-  
conus Cardinalis Falconerius. †
- † Ego Nicolaus sanctae Mariæ ad Martyres Dia-  
conus Cardinalis Judice. †

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus. †

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

De beato Thuribio Archiepiscopo Limano in A-  
merica, sanctorum confessorum pontificum  
canoni per eundem adscripto die X. Decem-  
bris Anno 1726.

XXXIII.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei  
memoriam.*

Quoniam Spiritus sancti oraculo per bea-  
tum Johannem Apostolum dictum est,  
odoramenta in phialis aureis visa coram Agno  
extincto, esse orationes sanctorum, quæ ad  
expiandas nostrorum criminum sordes ante con-  
spectum Altissimi odorem suavitatis emittunt;  
ideo nos, quibus, licet immeritis, idem Spi-  
ritus sanctus regendæ totius Ecclesiæ curam  
injunxit, æternæ Christi fidelium salutis plu-  
rimum credimus expedire, si eorum memoriam  
solemnibus præconiis ubique celebrari decer-  
nimus, quorum assiduis deprecationibus & pa-  
tronicis gregem catholicum nostræ fidei com-  
missum, in cælo adjuvare speramus.

Itaque summa beati Thuribii merita & signa  
jamdudum apud hanc sanctam Apostolicam Sedem  
per venerabiles fratres nostros S. R. E. Car-  
dinales sub piæ memoriæ antecessoribus nostris  
Romanis Pontificibus in longum examen ad-  
ducta, nos, in beati Petri Apostolorum Prin-  
cipis cathedra, disponente Domino, vix con-  
stitutos, magnopere excitaverunt, ut de insi-  
gni viro publicis sanctorum honoribus hone-  
tando cogitaremus, quem Majoricæ, oppido  
Hispaniæ Tarraconensis in episcopatu Legio-  
nensi, xvi. Kal. Decembres anno Christi Do-  
mini MDXXXVII. ex prænobili Mogro-  
veja gente ortum, per vias Domini perpetuo  
ambulantem, inque omnium virtutum stadio  
laudabiliter proficientem, Hispania primum,  
& postmodum oræ Americanæ, quas Indias  
occidentales vocamus, conspiceret meruerunt.  
Is enim liberalibus disciplinis, & vere Chri-  
stianis institutionibus educatus, doctrinisque  
evangelicis Salmanticæ optime instructus in  
collegio Ovetensi, ubi ejus brachium magna  
veneratione adservatur, ex sacro munere Apo-  
stolici Quæstoris Fidei in Regno Granatensi,  
quod magna innocentia & pietate subibat,  
ad Archiepiscopalem cathedram Ecclesiæ Lima-  
næ infuscus atque onus refugiens Americanos  
populos pastoralis officio reclusus, divino con-  
silio vocatus est, quod se vir Dei supremo nu-  
tu trahi sentiens, per ingentes difficultates, &  
vitæ pericula invicto animo properavit. Lima-

I.  
Orationes  
Sanctorum  
quanti vale-  
ant apud  
Deum.

Apost. v. 8.

II.  
Beati Thuri-  
bii ortus, vi-  
tæ institutio  
& Archiepis-  
copus sancte  
initus.

ANNO  
1726.

nam gentem moribus fœde corruptam, variisque superstitionibus turpiter inquinatam, ad Christianam pietatem alacriter excolendam summo studio traducere contendit, rebusque Ecclesie Limanæ dispositis, diœcesim & sacram provinciam nudis pedibus totam lustravit, unde factum, ut incredibilis Thuribii caritas vitia & mutua odia, quæ passim dominabantur, ex animis suæ plebis profus evelleret. Tum vir Dei prope gnarus, nihil aptius ad disciplinam, & Evangelii semina, quæ bonum fructum redderent, in agro Dominico seminanda, quam sacra Synodorum statuta, reperiri, mox ad presbyterorum & confratrum Episcoporum diœcesana & provincialia Concilia identidem celebranda omnem suam sollicitudinem vertit, quæ hujus etiam Sedis Apostolicæ munimine roborata, multa & probatissima habuit. Tum sacris viris & virginibus, pauperibus & infirmis præsentis ope consuluit, sibi ipsi perneccessaria in eorum usum impendens; unde christianitas illarum partium, Deo favente, mirifice aucta est, ita ut ad nongentos & eo amplius mille fideles salutari fonte renatos ipse unus per manus impositionem christiatis sacramento confirmaverit. His ancilla Dei Rosa ex nostro ordine Prædicatorum, adnumeratur, quam postea signis æque, ac virtutibus claram, felicis recordationis antecessor noster Clemens Papa X. in sanctarum virginum canonem retulit.

## III.

Diœcesim perlustrans pie obiit, & beatis, ac postea sanctis adscribitur.

Interea Limanus pontifex ad sui gregis salutem impigre incumbens, diœcesim de more perlustrans, in oppido Sannæ lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sanctissima eucharistia & extrema unctionis sacramentis probe munitus, fide & spe in Deum summe lætus, hilari vultu proxima resolutionis suæ nuncium accepit, atque ingeminatis Davidicis verbis, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*, spiritum Deo commendans, sanctissimam efflavit animam x. Kalendas Apriles anno Christi Domini MDCVI. ætatis duodecesime, Archiepiscopatus vicesimo quinto, Thuribii animæ in cœlum receptæ mirabilis Deus signis quamplurimis sanctitatem patefecit, Limæ præsertim, quo sacræ ejus exuvia, prodigijs eas comitantibus, advectæ fuerunt. Quare eximijs servi Dei virtutibus per plura miracula comprobatis, piæ memoriæ antecessor noster Innocentius Papa XI. x. Kalendas Julias anno Christi Domini MDCXXXIX. Thuribium beatis adscripsit, in ejus honorem sacris precibus & missæ sacrificio celebrari permittis; annoque insequenti in tabula Martyrologii Romani cum beatis relatus est. Postmodum per nos ipsos, novis miraculis post ejus beatificationem patris, æque discussis, inque tribus consistorijs & plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, ac cleri, populique Limani precibus pro beato Thuribio in sanctorum confessorum pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indistam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & S. R. E. disciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri pontificis & martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris

S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei in sanctorum confessorum pontificum canonem referendo, precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillimè imploratam, ad honorem sanctæ & individue Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostræ, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Thuribium Limanæ Sedis Archiepiscopum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat & constat, una cum beatis Jacobo à Marchia confessore ordinis Minorum, & Agnete Politiana virgine nostri ordinis Prædicatorum, Sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum pontificum canonem adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eundemque per universos Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ades sacræ & altaria, in quibus incrementum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis quinto Kal. Majas, quo ejus exuvia Limanæ translatae sunt, Thuribii Limani festa solemnia, ut sancti confessoris & pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus vere penitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Thuribii ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis penitentis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratijs Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Thuribii, Jacobi à Marchia, & Agnetis Politiana; solemnè oratione, in ara Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus, cum ejusdem confessoris pontificis, & ceterorum commemoratione; omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concessio omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, omnium honorum auctorem, cui est honor & gloria in sæcula; assidujs precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Thuribii, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentibus nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pæ-

ANNO  
1726.IV.  
Indulgentia  
sacrum ejus  
depositum  
sitantibus  
concessa.V.  
Missæ à summo Pontifice  
in sancti Thuribii, & aliorum honorem  
cantata.VI.  
Insigne beneficium à  
Deo toti Ecclesie concessum  
in beato Thuribio.VII.  
His literis ubique fides  
adhibeatur.VIII.  
Nemo eas

ginam

A N N O  
1726.

4. Idus Decembris, 1726.

ginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumferit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicefimo sexto, iv. idus Decembres, Pontificatus nostri anno tertio.

✠ *Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



- †
- †
- † Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
- † Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
- † Ego Laurentius Episcopus Tufulanus Cardinalis Corfinus.
- † Ego Joseph Renatus Tit. sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
- † Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
- †
- †
- †
- †
- † Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
- † Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
- † Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
- †
- † Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
- †
- † Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
- †
- †
- † Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
- † Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
- †
- †

A N N O  
1726.

† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.

† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.

† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.

† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.

† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.

† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholemæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.

† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.

† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.

† Ego Prosper Tit. sancti Chrylogoni Presbyter Cardinalis Marefufcus.

† Ego Frater Augustinus Tit. sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.

† Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.

† Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.

† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.

† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.

† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Cardinalis Prodatarius;

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

V I S A.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

ANNO  
1726.

XXXIV.

Qua univ[er]sa privilegia, indulta & gratiæ Apostolicæ, ordini Fratrum Eremitarum sancti Augustini olim concessæ iterum confirmantur.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

I.  
Summorum Pontificum amor erga ordines regulares.

II.  
Privilegia à summis Pontificibus concessa ordini Augustiniano, iterum confirmantur.

**L**ibenter ea largiri consueverunt Romani Pontifices, quæ pietatem & regularem observantiam in religiosis ordinibus augere possunt, quæque immunitates & privilegia, eorundem meritis & virtutibus ita exigentibus, concessa respiciunt, ut hoc Pacto Apostolicis gratiis ornati, alacrius in assiduo Dei cultu, & fidei Ecclesiæ famulatu, Deo dante impo[st]erum perseverent.

Itaque olim complures Romani Pontifices prædecessores nostri, paterno Apostolicæ benignitatis instinctu, ordinem Fratrum Eremitarum sancti Augustini Hipponensis Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, illiusque monasteria, Ecclesias, provincias, domos regulares, Congregationes, grangias, cappellas, priores, aliosque superiores & fratres, ab eodem ordine quomodolibet dependentes, multiplicibus privilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, aliisque concessionibus, per diversas infra scriptas suas literas, perpetuo decorantes, beneficentiæ suæ donis cumulaverunt. Pontifices verò eorundem literarum auctores hi sunt, quorum feriem hic damus:

1. Felix recordationis Gregorius Papa IX. per suas, incipientes: *Sacrosancta Romana Ecclesia*, Laterani sexto Kalendas Decembris, pontificatus sui Anno primo.

2. Innocentius Papa IV. per quasdam, incipientes: *Quoniam ait Apostolus*; ac alias, incipientes: *Religiosam vitam eligentibus*, Laterani sexto Kalendas Maji, pontificatus sui anno primo; ac per alias, incipientes: *Qua ex Apostolici cura*, Lugduni decimo tertio Kalendas Maji ejusdem pontificatus sui anno octavo; ac per alias pariter, incipientes: *Admonet vos cura*, Perusii decimo septimo Kalendas Maji, pontificatus sui anno undecimo.

3. Alexander Papa IV. per quasdam incipientes: *Religiosam vitam eligentibus*, Anagninæ tertio Kalendas Augusti; & alias, incipientes: *Quanto studiosius*, Neapoli decimo tertio Kalendas Aprilis; ac alias, incipientes: *Cum ex Apostolici cura*, Anagninæ septimo Kalendas Julii, pontificatus sui anno primo; aliasque, incipientes: *Ut eo fortius*, Laterani idibus Aprilis; ac etiam alias, incipientes: *Vobis assidue*, etiam Laterani quinto Kalendas Maji; ac alias, incipientes: *Cælestis amor patriæ*, etiam Laterani tertio Kalendas Maji, pontificatus sui anno secundo; aliasque, incipientes: *Oblata nobis ex parte vestra petiit*, pariter Laterani duodecimo Kalendas Maji; ac alias, incipientes: *Meritis vestra religionis*, Viterbii tertio idus Junii, pontificatus sui anno tertio. Idem alias, incipientes: *Inducunt nos*, etiam Viterbii nonis Julii, pontificatus sui anno quarto; cum aliis, incipientibus: *Vitæ perennis gloria*, Anagninæ idibus Julii pontificatus sui anno quinto.

4. Clemens Papa IV. etiam per quasdam, incipientes: *Devotionis augmenta*, Perusii decimo Kalendas Julii, pontificatus sui anno primo; aliasque, incipientes: *Pacis vestra querentes*, Viterbii quinto idus Julii; aliasque, incipientes:

*Quasdam literas*, etiam Viterbii idibus Julii, pontificatus sui anno secundo.

5. Honorius Papa IV. etiam per quasdam, incipientes: *Pro reverentia beati Augustini*, Romæ apud sanctam Sabinam decimo Kalendas Junii, pontificatus sui anno secundo.

6. Cælestinus Papa V. etiam per quasdam, incipientes: *Cum sollicitæ considerationis*, Neapoli quinto Kalendas Decembris; aliasque, incipientes: *Ex parte dilectorum filiorum*, item Neapoli nonis Decembris, pontificatus sui anno primo.

7. Bonifacius Papa VIII. etiam per quasdam, incipientes: *Sacer ordo vesiter*, Laterani duodecimo Kalendas Februarii, pontificatus sui anno quarto; aliasque, incipientes: *Inter sollicitudines nostras*, etiam Laterani, decimo septimo Kalendas Februarii, pontificatus sui anno octavo.

8. Benedictus Papa XI. etiam per quasdam, incipientes: *Licet ad hoc*, Laterani quarto idus Februarii, pontificatus sui anno primo.

9. Johannes Papa XXII. etiam per quasdam, incipientes: *Veneranda Sanctorum Patrum*, Avenione decimo quarto Kalendas Augusti, pontificatus sui anno sexto.

10. Innocentius Papa VI. etiam per quasdam, incipientes: *Religionis favor*, Avenione decimo sexto Kalendas Februarii, pontificatus sui anno primo.

11. Gregorius Papa XI. etiam per quasdam, incipientes: *Ad Romani Pontificis Providentiam*, Avenione quinto idus Novembris, pontificatus sui anno tertio.

12. Urbanus Papa VI. etiam per quasdam, incipientes: *Solet amnuere*, Perusii tertio Kalendas Maji, pontificatus sui anno undecimo.

13. Bonifacius Papa IX. etiam per quasdam, incipientes: *In sinu sedis Apostolicæ*, apud sanctum Petrum septimo idus Novembris; ac alias, incipientes: *Licet is, de cuius munere venit*, etiam apud sanctum Petrum Kalendis Martii; aliasque incipientes: *Pro singulorum fidelium*, etiam apud sanctum Petrum undecimo Kalendas Maji, pontificatus sui anno undecimo.

14. Martinus Papa V. etiam per quasdam, incipientes: *Sincera devotionis*, Romæ apud sanctos Apostolos nonis Novembris, pontificatus sui anno octavo; ac alias, incipientes: *Ad circumspectam Romani Pontificis*, etiam Romæ apud sanctos Apostolos sexto idus Junii, pontificatus sui anno nono; aliasque, incipientes: *Romani Pontificis providentia*, etiam Romæ, apud sanctos Apostolos nonis Junii, pontificatus sui anno decimo.

15. Nicolaus Papa V. per quasdam, incipientes: *Dispositione divina*, apud sanctum Petrum decimo sexto Kalendas Junii; & alias suas, incipientes: *Regimini universalis Ecclesiæ*, apud sanctum Petrum quinto Kalendas Decembris, pontificatus sui anno quinto.

16. Pius Papa II. etiam per quasdam, incipientes: *Sacra Religionis sinceritas*, Senis undecimo Kalendas Aprilis, pontificatus sui anno sexto.

17. Xystus Papa IV. etiam per quasdam, incipientes: *Inter precipuas nostri pectoris curas*, apud sanctum Petrum decimo Kalendas Januarii; ac alias, incipientes: *Ineffabilia gloriosæ Virginis*, etiam apud sanctum Petrum septimo idus Septembris; ac alias, incipientes: *A Sede Apostolica*, etiam apud sanctum Petrum quarto idus Octobris, pontificatus sui anno secundo; ac alias: *Mare magnum*, nuncupatas, incipientes: *Dum fructus uberes*, etiam apud sanctum Petrum septimo idus Februarii, pontificatus sui anno quarto; ac alias, incipientes: *Inter precipuas nostri pectoris curas*, etiam apud sanctum Petrum

sexto

ANNO  
1726.